

dit in Christum, saluus sit. Sine opere, sola fide, gratis accipiens remissionem peccatorum.

## VII.

Item docent quod vna sancta Ecclesia perpetuo mansura sit. Est autem Ecclesia congregatio sanctorum, in qua Euangelium recte docetur, & recte administrantur Sacramenta. Et ad veram vnitatem Ecclesiae, satis est consentire de doctrina Euangelij & administratione Sacramentorum. Nec necesse est vbiq; esse similes traditiones humanas, seu ritus aut ceremonias ab hominibus institutas. Sicut inquit Paulus, Vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omnium &c.

## VIII.

Quancq; Ecclesia proprie sit congregatio sanctorum, & vere credentium, tamen cum in hac vita multi hypocritae & mali admixti sint, licet vti sacramentis, quae per malos administrantur iuxta vocem Christi, Sedent Scribae & Pharisei in Cathedra Mosi &c. Et sacramenta & verbum propter ordinationem & mandatum Christi sunt efficacia, etiamsi per malos exhibeantur.

Damnant Donatistas & similes, qui negabant licere vti ministerio malorum in Ecclesia, & sentiebant ministerium malorum inutile & inefficax esse.

## IX.

De Baptismo docent, quod sit necessarius ad salutem,